Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXII.

22. Martij. 11. Cal. April.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45295

Visual Library

Corripe, excita, ſtimula me ad opus divinum dormitantem. Objice nictantibus oculis horribiles damnatorum vigilias, quas in flammis ſuis æternas agent inter fletus, ejulatus, & dentium ſtridores, tam facili nunc labore redimendos: & viciſſim dulcē felicis patriæ quietem, poſt modicas hujus vitæ vigilias tota æternitate ſecuturam.

Somnolentia excutienda.

S. BERNARDUS, *Epiſt. 1. n. 11.*

Vigilias times, & jejunia, manuúmq; laborem? Sed hæc levia ſunt, meditanti flammas perpetuas. Recordatio deinde tenebrarum exteriorum, facit non horrere ſolitudinem. Si futuram cogitas de verbis otioſis diſcuſſionem, non valde diſplicebit ſilentium.

Meditanti æterna, facilis eſt afflictio tēporalis.

22. *Martij.* 11. *Cal. April.*

B. HENRICE: qui mirabili abſtinentia, ſevera corporis caſtigatione, multos annos laudabiliter in Villario traducens; juxta meritorum exigentiam, in Abbatem Loci S. BERNARDI apud Antuerpiam, expetitus ibi-

Obijt anno 1298.

ibíq; ad graviſſimas functiones adhibitus, in ſumma Regum & Principum veneratione florebas. Tandem gratiæ gradum proximum, apud Regem regum aditurus, terræ valedixiſti; relicto cum ſanctitatis opinione, pio tui apud poſteros deſiderio. *Fac, ut omnia deſideria mea, ſicut non ſunt abſcōdita à conſpectu Dei, ita in eum ſolum, nec aliò, tendant. Illius amorem & cultum totis affectuum meorum viribus anhelem.*

Obijt circa annum 1218. B. BENEDICTE: qui ex Ulphone Nerviorum Principe, & ſancta Birgitta, claris ſanguine & ſanctimoniá parentibus procreatus, non potuiſti non pijſſimos mores induere; cùm & primum infantiæ nutrimentum, & educationis curæ, ex tam ſancto fonte inſtillarentur. Prævidit haud dubiè in ſpiritu vatidico mater, placitam eſſe DEO animam tuam; & adhuc in primo juventutis diluculo rapiendam, ne mundi malitia mutaret intellectum, multo ſuo labore tenerrimis amoris ſacri ſcintillis imbutum. Proinde monachis Alvaſtrenſibus te commēdavit. Ubi paucos intrà annos ſancto, ac tantâ innocentiâ digno fine quieſcens, piæ parenti ingentis gaudij materiam præbuiſti: dum Chriſto tuam ei inter electos gloriam revelante, ſibi gratulata

eſt, ſe ſuo partu cœli militiam auxiſſe. *Verè beatus, quem Divina miſericordia ante cognita & admiſſa peccata, ex mundi huius periculis educit. Utinam & mea fuiſſet iſta ſors! Nunc tu me è culpis præteritis emergere laborantem, tuis ac ſanctæ parentis precibus ſubleva: Deúmque exora; ut modò caſtiget delicta mea, cùm punire ſimul & indulgere ſolet.* Deus orand' ut hic puniat.

S. BERNARDUS, *ſer. 44. in Cant.*

Vapulem ſanè, vapulem, ut malè operans: ſi fortè verbera in merita reputentur. Fortaſſis miſerebitur flagellato, qui bonum in me non invenit, quod remuneret. Pœnitentia.

23. *Martij.* 10. *Cal. April.*

O Terræ amor, Cœlíque delicium, Mellifluε BERNARDE! Cui hodierna dies inauditum antehac attulit Divini amoris inſigne, Chriſti JESU in Cruce pendentis amplexum. Proſtratus coram illa ſacra Servatoris effigie, ut aliàs in multam noctem conſueviſti, effundebas cor tuum ante conſpectum Domini: id maximè per *Chriſtus Bernardũ amplexatur, circa annum 1150.*